



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 14. An est Simonia dare vel procurare Beneficium ratione
consanguinitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

fructus ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis propter officium spirituale.

Not. 2. Ex *extrav. ambitiosa* non licet locare fructus Beneficii, vel Monasterii ultra triennium. Sed juxta multos hæc restrictio non est in plerisque locis recepta: proinde dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porro id non fuit prohibitum ob periculum Simonix, sed ne per hujusmodi locationem, seu alienationem noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Q. 14. An est Simonia dare vel procurare Beneficium ratione consanguinitatis?

Resp. Cum S. Thom. 22. q. 100. a. 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen Simoniaca, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia.* At Simonia est si conferas, vel procures Beneficium consanguineo, aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si Beneficium procures extraneo, ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi, ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ad 7. ubi ait: *qui dat ratione*

Uti s

con-

consanguinitatis præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quod magnificetur per hoc, & nobiliteretur domus sua; vel quod ipse in consanguineis fit fortior, & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, Simoniam committit.

Q. 15. An est Simonia conferre, vel præsentare ad Beneficium ob commendationem amici?

Resp. Aff. Si favor humanus in eo principaliter intendatur: nam talis favor pretio æstimabilis est. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. à 5. ad 3. ibi: *Munus à lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis ad hoc principaliter intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.*

Q. 16.